



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

Tempore Vernali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](#)

Die XIV. Februarii.

S. VALENTINI MARTYRIS,

Duplex Diaconus.

*Omnia de communi unius martyris
præter sequentia. Oratio.*

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectiones I. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO. *Lectio IV.*

Valentinus Presbyter sapientiae eximiae, Claudio imperatore in Christianos læviente, Christianæ religionis accusatus, ejus jussu in vincula conjectus est. Biduo post ab Imperatore interrogatus, cum idolorum vanitatem gravissimis verbis confutaret, ipsumque Claudium ad pœnitentiam crudelitatis & Christi fidem hortaretur; Calphurnio praefecto traditur. Qui Valentimum ad

P. Vernal,

C

Afro-

Asterium transmittit; mandans, ut hominem, quâ possit ratione, ad deorum cultum adducat. A quo cùm audisset Asterius Christum esse verum lumen, & illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: periculum ejus rei se factum dixit in filiâ, quæ ante biennium oculorum lumen amiserat.

R. Honestum fecit illum, &c.

Lectio V.

Valentinus factâ oratione, manûque super oculos puellæ adhibitâ, ei in momento vitum restituit. Quo miraculo factum est, ut ipse quoque Asterius cum conjugè & universâ familiâ post triduanum jejunium à Valentino baptizaretur. Qui omnes, re ad Imperatorem delatâ, comprehensi, atque ad ostia Tiberina ducti, pro Christi nomine interfecti sunt. Valentinius autem post longum carcerem fustibus cæsus,

sus, capite plectitur viâ Flaminiaj
juxta pontem Milvium. Ejus cor-
pus Sabellina quædam pia matrona
eodem in loco sepelivit. Ubi posteà
sanctus Theodorus Papa Ecclesiam
Martyris nomine ædificavit, multis-
que locupletavit donis.

R. Desiderium animæ ejus, &c.
Sermo S. Augustini Episcopi. Serm. 44, de sanctis.
Lectio VI.

Triumphalis Beati Martyris Va-
lentini dies hodiè nobis anni-
versariâ celebritate recurrit: cuius
glorificationi sicut congaudet Eccle-
sia, sic ejus proponit sequenda vesti-
gia. Si enim compatimur, & con-
glorificabimur. In cuius gloriose
agone duo nobis præcipue conside-
randa sunt: indurata videlicet tor-
toris sævitia, & Martyris invicta
patientia: sævitia tortoris, ut eam
detestemur; patientia Martyris, ut
eam imitemur. Audi Psalmistam

C 2 ad-

adversus malitiam increpantem: Noli
æmulari in malignantibus, quoniam
tanquam foenum velociter arescent.
Quod autem adversus malignantes
patientia exhibenda sit, audi Aposto-
lum suadentem: Patientia vobis ne-
cessaria est, ut reportetis re promissio-
nes. R. Stola jucunditatis, &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum, c. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit JESus disci-
pulis suis: Nolite arbitrari, quia
pacem venerim mittere in terram:
non veni pacem mittere, sed gla-
dium. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. in Matth. c. 10.

Suprà dixerat, quod dico vobis in
tenebris, dicite in lumine; &
quod in aure auditis, prædictate su-
per tecta. Nunc infert, quid post
prædicationem sequatur. Ad fidem
Christi totus orbis contra se divisus
est:

est: unaquæque domus & infideles
 & credentes habuit, & propterea
 bellum missum est bonum, ut rum-
 peretur pax mala. Tale quid & in
 Genesi adversus rebelles homines,
 qui moti fuerant de Oriente, & tur-
 rem extruere festinabant, per quam
 cæli alta penetrarent, fecisse scribi-
 tur Deus, ut divideret linguas eo-
 rum. Rx. Corona aurea &c.

Lectio VIII.

Veni enim separare hominem ad-
 versus patrem suum. Hic lo-
 cus prope iisdem verbis in Michæa
 Prophetâ scribitur. Et notandum,
 ubicumque de veteri Testamento
 testimonium ponitur, utrum sensus
 tantum, an sermo consentiat. Qui
 amat patrem aut matrem plus quam
 me, non est me dignus. Qui antè
 præmiserat, Non veni pacem mit-
 tere, sed gladium, & dividere ho-
 mines adversus patrem & matrem,

nurum & socrum; ne quis pietatem religioni anteferret, subjicit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cantico legimus canticorum: Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R_e. Hic est verè Martyr, &c.

Lectione IX.

Ordo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zonâ excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde viētūs necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit, ut in suscipiendis Apostol's unusquisque credentiam Christum se suscepisse arbitreretur.

Te Deum Laudamus.

Dic

Die XXVI. Martii.

In Festo S. LUDGERI Episc. & Conf.

Semidupl. pro Saxon. infer.

*Omnia de communi Conf. Pontif.
præter sequent.*

AD VESPERAS.

Hymnus.

Præsulem lætis beatum
Concinamus mentibus,
Qui Deum Deique Natum
Prædicavit gentibus,
Rhenus, Albis, & Visurgis,
Quas rigant & Amasis.

Copiosis atque claris
Editus Parentibus,
Cuncta Christi lætus aris
Donat, ac egentibus:
Templa fundat, corda mundat
Quinque Jesu fontibus.

Psalle Principi tuorum
Mimigarda Præsulum,
Qui catenis te malorum
Alligatam Dæmonum

Liberavit, & cibavit
Pane vero cælitum.

Psalle felix solitudo,
Hospes almi corporis,
Quam rigavit plenitudo
Gratiæ mirabilis,
Crediti dum sanctitudo
Te beavit pignoris.

Vivat ævi Lux beati
Gloriosa Trinitas,
Una Patris, atque nati
Vivat & Divinitas,
Spiritusque non creati
Par utriusque dignitas. Amen.

Oratio.

Deus, qui beatum Ludgerum Confessorem tuum atque Pontificem hodiernâ die suscepisti atque remunerâsti: concede propitius; ut qui ejus gaudemus ineritis, provocemur exemplis, & ejus intercessione veniam, & vitam mereamur æternam. Per Dominum &c.

AD

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Astra, Tellus, Aër, Unda
 Cœtibus psallentium
 Obvolutâ noctis umbrâ
 Dulce dant silentium:
 Ergo sursum corda cursum
 Dirigant canentium.

Nocte, Lux septentrionis,
 Præful hic sanctissimus,
 Usque prædicationis
 Fractus à laboribus,
 Astra scandit, atque pandit
 Dux piis fidelibus.

Hunc amemus hunc sequamur
 Per salutis semitam,
 Ut sequentes provehamur
 Ad supremam patriam,
 Et perennem consequamur
 Morte sanctâ gloriam.

Christe duro fixe ligno,
 Atque verè mortue,

Mor-

Mortis horâ tu maligno
 Nos ab hoste protege,
 Mortuósque nos benigno
 Intuere lumine, Amen.

*Lect. i. Noct. Fidelis Sermo. de
 com. Conf. Pont. si verò transf. post Pa-
 scha, de Script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ludgerus in Frisiâ nobili genere
 natus adhuc adolescens Sancto
 Gregorio Ultrajectensi Præfuli tradi-
 tus est, Domino enutriendus. Hoc
 Magistro prima doctrinæ, & vitæ
 sanctioris fundamenta jecit; quæ post
 Eboraci in Anglia sub Alcuino ad
 eum perfectionis apicem perduxit,
 ut mox ipse Doctor eximius Disci-
 pulos in virtute scientiâque solidè
 erudierit, & libros de gestis Sancto-
 rum eruditè conscripserit. Noctu
 Psalmodiæ, & orationi, interdiu
 sacrarum literarum lectioni, & me-
 dita-

ditationi assiduè intentus, aptum se-
se reddidit Apostolicis laboribus, lu-
crandisque Deo Gentilibus instru-
mentum. Quare à Sancto Alberico
Episcopo ad prædicandum Christi
Evangelium in Frisiā missus, Ec-
clesiam Daventriæ à Sancto Lebuino
exstructam, & à Saxonibus infide-
libus exustam restituit. Suscepto
Presbyterii gradu ob persecutionem
Widekindi è Frisiâ Romam perrexit;
inde redux in Monasterio Cassinensi
sub Theotmaro Abbe aliquandiu
sancte conversatus Sancti Benedicti
regulam didicit. Quinque pagos,
& Insulam unam ab Idolis ad veri
Dei cultum traduxit. Insulam aliam
Frisiæ, Daniæque confinem, cru-
cem manu tenens, & preces ad Do-
minum cum laudibus fundens, Dæ-
mone sub caligine tenebrosâ fugien-
te liberavit, ac Fide Christi imbuit.

R. Inveni David &c.

Leditio

Lectio V.

Mira semper in eo elucens prudētia & temperantia, mansuetudo, & vultūs hilaritas, omnibus charum amabilēmque reddidit. Tantā fuit abstinentiā, ut illum cibo vel potu satiatum, discipulorum nemo umquam viderit: humilitate tantā; ut oblatum Episcopatum ægrè tandem admiserit, asserens: Episcopum oportere irreprehensibilem esse. Rigidus in se usque ad finem vitæ, clam cilicio carnem domuit: benignus in alios, redditus omnes, servatis sibi tantūm necessariis, in egenos distribuit: anseres Sylvestres agris noxios proscripsit. Pauperes æquè, ac divites mensæ adhibuit; nec minus documentis spiritualibus, quam epulis carnalibus refecit. Verè Pater pauperum, contemptor sui, omnibus omnia factus, ut omnes salvos faceret. Volente Carolo Rege in pa-

go

go Sudergoe, in loco Mimigerne-
ford dicto, Monasterium construxit
Iub regulâ Canonicâ Christo famu-
lantium, quod postmodum urbi no-
men dedisse fertur. Ibidem Eccle-
siæ à se erectæ primus Episcopus
præfuit. Werthinæ & Helmstadii
Religiosorum Cœnobia condidit &
fundavit: atque ita incredibili zelo
infidelibus Saxonie Occidentalis po-
pulis Evangelium annuncians, Ido-
lolatriam extirpans, Ecclesias eri-
gens, & Presbyteros per loca singu-
la ordinans, Religionem Christia-
nam mirificè propagavit.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Denique ad Nortmannos Christo
subjugandos sese accingens, in
morbum incidit: Eorumdem irrup-
tionem, & novellæ Ecclesiæ perse-
cutionem, pacemque deinde reditu-
ram spiritu prophetico prædixit, e-
ventus

ventusque respondit. Morbo du-
rante nihil de solito fervore ac inde-
fesso labore, nihil de crebrâ Verbi
Divini prædicatione, & quotidianâ
propè Sacrificii incruenti oblatione
remisit. Ipfâ adeò Dominicâ, ulti-
mâ vitæ suæ die, manè Coësfeldiæ
Missam, canente Presbytero, à me-
ridiè Billerbecæ, pro concione dixit,
atque hic ultima Missæ solemnia de-
votè celebravit. Nocte subsequente,
ut prædixerat, in Discipulorum co-
ronâ, vir sanctus, meritis plenus,
Dilectam Deo animam piissimè red-
didit, Anno salutis octingentesimo
nono, septimo Calendas Aprilis. Eâ-
dem noctis horâ Getfrido Nepoti &
Successori ejus, ac Fratribus ad ip-
sum visendum properantibus, in viâ
conspicuum ingens lumen, ignis in-
star, in sublime elatum, certum
obitus indicium præbuisse, comper-
tuin

tum est. Corpus integro post obitum Mense, Monasterii in Ecclesia Sanctæ Mariæ inhumatum, & suavi odore fragrans, Werthinæ, ut vivus jusserat, conditum est, ubi hodieum requiescit, illuminatis cæcis, curatis surdis, sanatis paralyticis, ejetis Dæmonibus, aliisque exhibitis cælitùs beneficiis clarissimum.

R. Iste est &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Vos estis Sal terræ. Quod si Sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

HOMILIA

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Operis imperfecti.

Propter bonam conversationem suam Sacerdotes dicti sunt Sal: quoniam bona conversatio Sacerdotum

tum conditura populi est. Propter verbum autem doctrinæ lux: quoniam verbum ignorantiae lumen est. Prius autem vocavit illos Sal, postea autem lux: aut quia prioris loci est servare, quos habes: secundi autem vocare, quos non habes: aut quia prius bene vivere est, secundum autem benè docere. Nam per bonam conversationem ascenditur sine dubio ad scientiam: per scientiam autem nescio, si ad bonam conversationem veniatur. Propterea scientes quidem sine timore Dei multos videmus: timentes autem Deum sine scientiâ, videmus nullum. Aut quia propter Judæos priores dicti sunt Sal, non adducentes eos ad scientiam Dei; sed condientes eos in ipsâ scientiâ: Lux autem propter gentes in secundo loco vocatas. Ideò & comparationem congruam addit,

&

& dicit: Non potest civitas abscondi supra montem posita.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum stolam gloriae induit eum.*
Et ad portas Paradisi coronavit eum.

V. Induit eum Dominus loricam Fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VIII.

Quando enim ipsa voluerit esse velata; mons ipse, qui portat eam, facit eam in omnibus manifestam. Sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo monte excelso non possunt esse absconditi: Et si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos, qui bajulat eos. Quae est haec civitas? Ecclesia Sanctorum: de qua dicit Propheta: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Cives autem omnes fideles ejus, de quibus ait Apostolus: Vos estis Cives Sanctorum, & Domestici Dei. Turres illius sunt Prophetae, de quibus

P. Vernal,

D

dictum

dictum est: Fiat pax in virtute tuâ,
& abundantia in turribus tuis. Sicut
enim de turribus jacula contra ho-
stes jactantur, sic de Propheticis li-
bris contra vanas gentilium fabulas,
& contra insanias Hæreticorum di-
sputationes salutaria proponuntur
veritatis exempla.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os
ejus. * Et implevit eum Dominus
spiritu sapientiæ & intellectus.

V. Jucunditatem & exultationem
thesaurizavit super eum. Et implevit.
Gloria Patri. Et implevit.

Lectio IX.

Portæ autem ejus sunt Apostoli, de
quibus scriptum est: Diligit Do-
minus portas Sion; quia per illas to-
tus populus intrat ad fidem. Muri
autem illius sunt Sacerdotes cæteri-
que Doctores, de quibus dixit Pro-
pheta ad hanc Jerusalem spiritalem:
&

& alienigenæ ædificabunt muros tuos: Quoniam ex gentibus vocati sunt Sacerdotes; & Gubernatores Ecclesiæ. Sicut enim muri impetum Gentilium & Hæreticorum ipsi suscipiunt; qui tanquam arietibus quibusdam, sic assiduis persecutionibus feriunt Clerum, id est murum Ecclesiæ: Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba perversæ confessionis eorum, de impiâ cordis pharetrâ procedentia, Doctores quasi lapides vivi suscipiunt & fidei virtute confringunt. Hæc ergo Civitas posita est super montem, id est Apostoli & Prophetæ cæterique Doctores ædificati in Christo. Mons enim Christus est, de quo ait Daniel: Et ecce lapis excisus est sine manibus, & factus est mons magnus, & occupavit totam terram.

Te Deum Laudamus.

D 2

Si

Si hoc Fest. celebr. in Quadrage. IX.
Lect. leg. de Homil. Fer. occ. & de ea
fit com.

AD LAUDES.

Hymnus

Lux serena, lux decora
Solis almi spargitur,
Cum rigentis orbis ora
Igne Christi tangitur,
Nox facessit, styx pavescit,
Sancta Crux extollitur.

Hoc Sacerdos ille magnus
Hisce terris præsttit,
Fortis heros mitis Agnus
Corda Christo subdidit,
Et luporum Barbarorum
Pastor ora contudit.

Dum cruentis Cæsar armis
Vincit hanc provinciam,
Incruentis sanctus aris
Præful offert hostiam:
Sic paravit atque pavit
Primus hanc Ecclesiam.

His

Hic avitæ sancta vitæ
 Verba nobis edidit,
 Et honorum vera morum
 Norma nobis extitit :
 Quisque credat, nec recedat
 A Fide, quam tradidit.
 Sic ad astra sublevabit
 Nos paterna claritas ;
 Sic averni liberabit
 Igne Christi charitas ;
 Atque sancti nos amabit
 Spiritus Benignitas. Amen.

*Missa de communi Conf. Pont. Sta-
 tuit. Evang. Vos estis Sal. de com. Doct.*

IN II. VESPERIS.

Hymnus.

Sancta Vesper festa claudit,
 Gloriosi Præsidis,
 Cujus omnis terra plaudit
 Inclytis præconiis :
 Aula cœli cum fideli
 Plebe certat canticis.

Jam labores terminavit,
 Atque clara prælia,
 Regna Christo subjugavit,
 Dura per certamina,
 Et suprema comparavit
 Morte sacra præmia.

Patris hujus æmulemur
 Filii charismata,
 Hoc Patrono gloriemur
 In fide verissimâ,
 Quam docebit & tenebit
 Semper hæc Ecclesia.

Hoc piæ divinitatis
 Præstet alma Trinitas,
 Sempiternæ Trinitatis
 Vera præstet unitas;
 Nos chorus jungat beatis
 Spes, Fides & Charitas. Amen.
OFFICIUM DE LANCEA
ET CLAVIS DOMINI.

Duplex II. Classis.

Feriâ sextâ post Dominicam in Albis
(non impeditâ Feso novem Lecl.) vel
aliâ

aliâ feriâ sextâ similiter non impeditâ
infra tempus paschale per Germaniam
recitandum.

Ad primas Vespertas, Ant. Hasta Re-
gem gloriæ. cum reliquis de Laudibus.
Psalmus. Dixit Dominus. cum reliquis
de Dominicâ. & loco ultimi. Psalm.
Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Sap. 5. d.

Sumet Dominus scutum inexpun-
gnabile æquitatem: acuet autem
duram iram in Lanceam, & pugna-
bit cum illo orbis terrarum contra
insensatos.

Hymnus.

Pange lingua gloriosæ
Lanceæ præconium;
Quæ reclusit pretiosæ
Cataractæ fluvium,
Passo Christo dolorosè
Pro salute Gentium,

Hasta Gazis præoptata
Mundi pandit pretium,

D 4

Cordis

Cordis tactu præparata
Fit sagitta fortium:
Arma Clavi sunt beata
Contra vires dæmonum.

Dulcis Hasta Dei latus
Spoliasti sanguine:
Dulces Clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;
Ut sic mundus emundatus,
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit Viatores,
Et timentes animat,
Et ostendo, bellatores
Cordis succo roborat,
Clavus firmat, & dat rores,
Pusillösque recreat.

JESU victor inferorum,
Qui triumphas Lanceâ,
Et virtute qui Clavorum
Restaurasti omnia:
Fac, ut horum nos armorum
Muniant præsidia, Amen.

B. Ac.

V. Accipiet armaturam zelus ilius, Alleluja.

R. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, Alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude pia plebs justorum, omne genus Germanorum, tantis de muneribus: nam clenodia salutis, tibi dedit Rex virtutis, suis de vulneribus; Clavos, Lanceam & Crucem, ut sequaris Christum ducem, Alleluja.

Oratio.

DEUS, qui in assumptæ carnis infirmitate Clavis attigi, & Lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut qui eorundem clavorum & Lanceæ solemnia veneramur in terris, de gloriose victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis & regnas.

Ad Matutinum, Invitator.

Cœlestis Regis Lanceam venite adoremus:

reinus: * Et pro Clavis ejus Christo
jubilemus, Alleluja.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Paschali jubilo sonent præconia
Armorum Domini, per quæ vi-
ctoria

Venit Christicolis; sint in memoriâ
Crux, & Clavi, & Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,

Lancea superis tribuit præmia,

Clavi consociant cœlos & infima,

Fletum mutant lætitia.

Clavus dum figitur in Dei manibus,

Et dum demergitur in sacris pedibus,

Hasta dum fodicit latus, hominibus

Manat gratiæ fluvius.

Lancea sæviens in Dei pectore,

Et inde proferens aquam cum san-
guine,

Mundum lætificat impetus flumine,

Omnes ad aquas currite.

Te summa Deitas cœlum magnificat,

Ordo

Ordo Seraphicus laudibus insonat:
His noster pariter cœtus se misceat,
Et in sœcula te canat, Amen.

IN I. NOCTURNO. *Ant.*

Exaltatur Crucis lignum, dum Chri-
stus occubuit lanceatus; à maligno
hoste nos eripuit, Alleluja.

Psalmi. Beatus vir, qui non abiit.
Quare tremuerunt Gentes. Domi-
ne, quid multiplicati sunt, *ut in Fe-
sto Inventionis S. Crucis.*

V. Tuam Lanceam adoramus Do-
mine, alleluja.

R. Tuam gloriosam passionem re-
colimus, Alleluja.

De libro secundo Paralipomenon.

Lectio 1.

Cap. 9. d.

Fecit igitur Rex Salomon ducen-
tas hastas, de summa sexcento-
rum aureorum, qui in singulis ha-
stis expendebantur. Trecenta quo-
que scuta aurea, trecentorum aure-
orum, quibus tegebantur singula
scuta:

scuta: Posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

R^g. Videte gloria loca clavorum,
& latus meum lanceâ perforatum,
pro salute mundi. * Palpate & vi-
dete, quia ego ipse sum, Alleluja,
alleluja.

Y. Verè languores nostros ipse tu-
lit, & dolores nostros ipse portavit.
Palpate.

De libro Sapientiæ.

Le^ctio II.

Cap. 5. e.

E^t accipiet armaturam zelus illius,
& armabit creaturam ad ultio-
nem inimicorum. Induet pro tho-
race justitiam, & accipiet pro galeâ
judicium certum. Sumet scutum in-
expugnabile æquitatem. Acuet au-
tem duram iram in lanceam, & pu-
gnabit cum illo orbis terrarum con-
tra insensatos.

R^g. Latus ejus aperuit, alleluja:
pate-

patefecit ostium vitæ. * Alleluja,
alleluja.

¶. Ingridiamur illud. Alleluja, allel.

De Epitola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio III.

Cap. 6. b.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum huius, contra spirituallia nequitiae in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induiti loricam justitiae, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Ry.

R. Inter Clavos Christus in Cru-
ce separatus est, * Alleluja, alleluja,
alleluja.

¶. Et in sanctâ resurrectione mun-
dus in ejus laudibus vigilavit. Alleluja.

Gloria Patri. Alleluja.

IN II. NOCTURNO.

Ant.

Tuam Lanceam adoramus Domi-
ne, & tuam gloriosam passionem
recolimus, alleluja.

Psalm. Cum invocarem.

Verba mea. Domine Dominus
noster. *ut in 2. Noct. de Inventione S.
Crucis.*

¶. Verè languores nostros ipse
tulit, alleluja.

R. Et dolores nostros ipse porta-
vit, alleluja.

Sermo Innocentii Papæ Sexti.

In Decreto, de festo Lanceæ, et Clavorum

Domini.

Lectio IV,

In Redemptoris nostri Domini Je-
su

su Christi sacratissima passione, sic nos gloriari oportet, ut ipsius passionis cuncta mysteria dinumerantes & merita, singulis etiam ejus salutari- bus instrumentis gloriemur. Inter quæ illud celebriter memorandum est: quod ipse Salvator emisso in Cruce jam spiritu, sustinuit perfo- rari Lancea latus suum, ut inde san- guinis & aquæ profluentibus undis, formaretur unica & immaculata Vir- go sancta mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris aper- tura, unde nobis tot & tanta divi- næ pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quæ tot bona nobis effice- re, & ad tanti triumphi gloriam me- ruit superaddi!

R. Surge virgo Ecclesia, sponso redde munia; tui clavi grata impri- munt vestigia, per quæ ruit infer- nalis Sifara. * Nam clavum Jahiel mal-

malleo fixit in ejus tempora, alleluja, alleluja.

y. Dulces clavi pungite corda nostra Nam.

Letio v.

Hæc latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni cœlestis aperuit. Hæc vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit vitamque nobis reddidit, & salutem. Hæc innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit; & demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, cæcitatis nostræ tenebras sustulit, & nos ipsius divinæ pietatis flaviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, qui que non solum immaculato respergi sanguine, & molem ferre tanti ponderis meruerunt; sed & nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius divinæ cha-

charitatis accepimus, ut manus nostræ à peccati solutæ nexibus, pendesque nostri à mortis laqueis fuerint liberati, sunt dævotissimè recolendi.

R. Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus. *Allel. allel. alleluja.

Y. Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus, Alleluja.

Lectio VI.

Quid enim vulnere & plagis humusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, & in quibus assiduè se possunt curare animæ devotorum? Licet igitur Lancea, & Clavi prædicti, aliaque ipsius passionis salutaria instrumenta sint à cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda & de ipsa etiam passione in eadem Ecclesia tolemnia annis singulis officia celebrentur & fiant: dignum tamen & conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, &

P, Vernal,

E

præ-

præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solleme ac speciale festum celebretur, & fiat: Nósque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

R. Jesus nostra spes suavis ab uberibus. * Alleluja, alleluja, alleluja.

ꝝ. Pro nobis fessus Clavis in palmis atque pedibus. Alleluja.

Gloria Patri. Alleluja.

IN III. NOCTURNO.

Anno.

Tu Christe nostrum gaudium, de Lanceato latere, da oris mellicidium, ardenti corde fugere, Alleluja.

Psalmi. Cantate i. Dominus regnavit. Cantate ii. ut in tertio Nocturno. de inventione S. Crucis.

ꝝ. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, Alleluja.

R. Psalmum dicat nomini tuo Domine, Alleluja.

Lectio

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem,

Lectio VII.

Cap. 19. f.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joann.

Unus militum Lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illud quodammodo vitæ ostium pandetur, unde Sacra menta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis qui fusus est, in remissionem peccatorum fusus est. Aqua illa salutaris temperat poculum, hæc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænunciabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus

E 2

est,

est , quo intrarent animalia , quæ non erant diluvio peritura , quibus figurabatur Ecclesia .

R. Vibrans miles lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriæ Dei : * In quo habitat plenitudo Divinitatis . Alleluja , alleluja .

V. Ibi abscondita est fortitudo ejus : ante faciem ejus ibit mors . In quo .

Lectio VIII.

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis , & appellata est vita , materque vivorum , magnumque signavit bonum ante magnum prævaricationis malum : & secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit , ut inde formaretur ei conjux , quæ de latere dormientis effluxit . O mors , unde mortui reviviscunt ! quid isto sanguine mundius ? quid vulnere isto salubrius ? Facta sunt enim hæc , inquit , ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis

minuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.

R. Tuam Lanceam adoramus Domine, alleluja: tuam gloriosam recolimus passionem. * Alleluja, alleluja, alleluja.

V. Hasta Regem gloriæ cruentavit Christum. Alleluja.

Gloria Patri. Alleluja.

Lectio IX.

Duo testimonia de Scripturis singularis reddidit; quasi facta fuissent, narravit. Nam quia dixerat: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; ad hoc pertinet testimonium: Os non comminuetis ex eo: quod præceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt, ovis immolatione, in veteri lege, quæ Dominicæ passionis umbra præcesserat. Unde Pascha nostrum immolatus

molatus est Christus: de quo Isaías Propheta dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus est. Item, quia subjunxerat, dicens: Sed unus militum Lancea latus ejus aperuit; ad hoc pertinet alterum testimonium: Videntur, in quem transfixerunt. Ubi promissus est Christus, in ea, qua crucifixus est, carne venturus.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

& per Horas, Ant.

Hasta Regem gloriæ Christum cruentavit, dum crucis in arbore Dominus regnavit, Alleluja.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dom.*

Ant. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, & in ejus laudibus semper jubilemus, Alleluja.

Antiphon. Unus militum Lanceā latus ejus aperuit & continuò exivit sanguis & aqua, Alleluja.

Antiph.

Antiph. Fui mortuus, & ecce sum
vivens in sæcula sæculorum, Alleluja.

Antiph. Sempiterna gaudia Christus
tunc donavit, cùm Clavis & Lan-
ceâ mortem superavit, Alleluja.

Capitulum. Sap. 5. d.

Sumet Dominus scutum inexpu-
gnabile æquitatem: acuet autem
duram iram in Lanceam, & pugna-
bit cum illo orbis terrarum contra
insensatos.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hastâ clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.

O gloriofa Lancea !
Timor tremorque dæmonum;
Regna pandis siderea,
Per sanctæ necis meritum.

De Clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium,
Ecunctis aromatibus

Spirans odorem cœlicum.

In corde Christi mergitur
Mucro leone sævior:
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.

In natum Pater phialam
Effudit iracundiæ,
Ut nobis cœnam maximam
Gratis suæ det gloriæ.

O Christe, nostrum gaudiuin,
De vulnerato latere
Da lac, & vinum depluum
Ardente corde fugere.

Precamur, Auctor omnium:
Tu nostra sis refectio:
Tuorum perque meritum
Armorum sis protectio. Amen.
¶. Per sanctam Lanceam de ini-
micis nostris, Alleluja.

R. Libera nos Deus noster, Allel.

Ad Benedictus, Antiphona.

O felix & omni laude digna Lan-
cea Salvatoris, quæ pertransiens la-
tus

tus ejus, chirographum peccati affixit patibulo Crucis, Alleluja.

Oratio.

Deus, qui in assumptæ carnis infirmitate clavis affigi, & Lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut qui eorumdem Clavorum & Lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis & regnas.

Ad Primam, Antiphona.

Hasta Regem gloriæ.

Psalm. Deus in nomine tuo. *cum reliquis de Psalterio.* *Capitulum.* Regi sæculorum.

R. br. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis, * Alleluja, alleluja.
Christe Fili Dei.

V. Qui vulneratus es pro nobis.

R. Alleluja, alleluja.

V. Gloria Patri. *R.* Christe.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio bre-

brevis. Ego sum primus. ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam, Antiphona.

Hanc tremendam Lanceam. *Capitul.* Sumet Dominus.

R. Br. Apprehende arma, & scutum, * Allel. allel. Apprehende.

¶. Et exurge in adjutorium mihi. Alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Apprehende arma.

¶. Foderunt manus meas & pedes meos, alleluja.

R. Dinumeraverunt omnia ossa mea, alleluja.

Ad Sextam, Antiphona.

Unus militum.

Capitulum.

Apoc. I.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

R.

R_{2.} Br. Foderunt manus meas, &
pedes meos, * All. allel. Foderunt.

¶. Dinumeraverunt omnia ossa
mea, Alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Foderunt.

¶. Quem tu percussisti, persecuti
sunt, alleluja. R_{2.} Et super dolorem
vulnerum meorum addiderunt, all.

Ad Nonam, Antiphona.

Sempiterna gaudia.

Capitulum. Apoc. 1. d.

Ego sum primus & novissimus, &
vivus, & fui mortuus: & ecce
sum vivens in saecula saeculorum.

R_{2.} Br. Quem tu percussisti, per-
secuti sunt, * Allel. allel. Quem tu.

¶. Et super dolorem vulnerum
meorum addiderunt, Allel. alleluja.

Gloria Patri. Quem tu percussisti.

¶. Ipse vulneratus est propter ini-
quitates nostras, alleluja.

R_{2.} Attritus est propter scelera no-
stra, alleluja.

In ii. Vesperis omnia ut in primis, &
loco ultimi, Psalm. Credidi.

Collaudemus Christi clementiam,
qui per gloriosos Clavos & Lance-
am dat Ecclesiæ de inimicis victo-
riam, & in cœlo vitam & coronam
perpetuam, alleluja.

OFFICIUM PATROCINII
SANCTI JOSEPHI,
SPONSI B. M. V.
CONFESSORIS DUPLEX.

Dominica tercia post Pascha.

NB. Tempore Paschali attendatur
ad ritum Paschalem.

AD VESPERAS *Antiphona,*

Jacob autem. *Cum reliquis de Laud.*
Psalm. *Dixit Dominus. Cum reliq.*
de Dominica & loco ultimi Psalm.
Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum Gen. 49.

Benedictiones Patris tui conforta-
tæ sunt benedictionibus Patrum
eius, donec veniret desiderium col-
lium

lium æternorum: Fiant in capite
Joseph, & in vertice Nazaræi inter
fratres suos.

Hymnus.

Te, Joseph, celebrent agmina
Cœlitum:
Te cuncti resonent Christiadum
Chori
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ.
Casto fœdere Virgini
Almo cùm tumidam germine con-
jugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad
exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quæris, & invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia con-
secrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu

Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira Sorte beatior.

Nobis, summa Trias, parce pre-
cantibus,

Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

V. Constituit eum Dominum do-
mus suæ.

R. Et principem omnis possessio-
nis suæ.

Ad Magnificat, Antiph. Cùm esset
desponsata Mater JESU Maria Joseph,
antequam convenirent, inventa est
in utero habens de Spiritu sancto.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia
beatum Joseph Sanctissimæ Ge-
nitricis tuæ Sponsum eligere digna-
tus es: præsta quæsumus; ut quem
Protectorem veneramur in terris, In-
tercessorem habere mereamur in cœ-
lis. Qui vivis, & regnas, &c.

Et

Et fit commem. Dominicæ.

Ad Matutinum, Invitator.

Laudemus Deum nostrum* In ve-
neratione Beati Joseph Protectoris
nostrí.

Psalm. Venite exultemus.

*Hymnus. Te Joseph celebrent, si-
cut in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO. *Ant.*

Ascendit Joseph à Galilæa de Ci-
vitate Nazareth in Judæam in civi-
tatem David, quæ vocatur Bethle-
hem, ut profiteretur cum Maria.

*Psalm. Beatus vir Cum reliquis de
communi Conf. non Pontificis.*

Antiph. Venerunt pastores festi-
nantes: & invenerunt Mariam & Jo-
seph, & infantem positum in præsepio

Antiph. Angelus Domini appa-
ruit in somnis Joseph dicens: surge
& accipe puerum & matrem ejus, &
fuge in Ægyptum, & esto ibi, us-
que dum dicam tibi,

*. Con-

V. Confitebor nomini tuo.

R. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi.

De Libro Genesis.

Lectio 1.

Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaëlitarum; à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitavitque in domo domini sui, qui optimè noverat, Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Aegyptii propter Joseph & multiplicavit tam in ædibus, quam

in

in agris cunctam ejus substantiam, nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.

R. Clamavit populus ad Regem, alimenta petens. * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph. *V.* Salus nostra in manu tua est, respice nos tantum, & læti serviemus Regi. Quibus ille.

Lectio 11.

Cap. 41.

Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus; locutusque est ad eos: Num invenire poterimus tales virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero? tu eris super Domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.

P. Vernal.

F

Dicitur.

Dixitque rursus Pharao ad Joseph:
 Ecce constitui te super universam
 terram Ægypti. Tulitque annulum
 de manu sua, & dedit eum in manu
 ejus: vestivitque eum stola byssina,
 & collo torquem auream circumpo-
 suit. Fecitque eum ascendere super
 currum suum secundum clamante
 præcone, ut omnes coram eo genu-
 flecterent, & Præpositum esse sci-
 rent universæ terræ Ægypti.

R. Fecit me Deus quasi Patrem
 Regis & Dominum universæ domûs
 ejus. *Exaltavit me, ut salvos fa-
 ceret multos populos.

¶. Venite ad me, & ego dabo vo-
 bis omnia bona Ægypti, ut come-
 datis medullam terriæ. Exaltavit me.

Lectio III.

Cap 41.

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego
 sum Pharao: absque tuo impe-
 rio non movebit quisquam manum,
 aut pedem in omni terra Ægypti.
 Ver-

Vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Asceneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est: tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

Rv. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo, non sum fraudatus aspectu tuo: *Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum.

¶. Qui pascit me ab adolescen-
tia mea, benedicat pueris istis, &
invocetur super eos nomen meum.
Insuper. Gloria Patri. Insuper.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Consurgens Joseph acce-
pit puerum & matrem ejus nocte,
& secessit in Ægyptum: & erat ibi
usque ad obitum Herodis.

Psalm. Cum invocarem. *cum re-*
liq. de com. Conf. non Pont.

Antiph. Defuncto Herode Ange-
lus Domini apparuit in somnis Jo-
seph dicens: surge & accipe puerum
& matrem ejus, & vade in terram
Israel; defuncti sunt enim qui quæ-
rebant animam pueri.

Ant. Accepit Joseph puerum, &
matrem ejus, & venit in terram Israël.

¶. Respice de cælo, & vide, &
visita vineam istam. ¶. Et perfice eam.

Sermo S. Bernardini Senensis.
Serm. I. de S. Joseph.

Lection

Lectio IV,

Omnia singularium gratiarum, alicui rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula est; quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ & ejus officio necessaria sunt, atquè illam copiosè decorant. Quod maximè verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, & vero Sponso Reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis nutritius, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, & sponsæ suæ; quod officium fidelissimè prosecutus est. Cui proptereà Dominus ait: serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

R. Dedisti mihi protectionem sa-

F 3

lutis

lutis tuae, & dextera tua suscepit me:
 * Protector meus, & cornu salutis
 meae, & susceptor meus. v. Ego
 protector tuus sum & merces tua
 magna nimis. Protector.

Lectio V.

Si compares eum ad totam Eccle-
 siam Christi, nonne iste est ho-
 mo electus & specialis, per quem
 & sub quo Christus est ordinatè, &
 honestè introductus in mundum? si
 ergo Virgini Matri tota Ecclesia san-
 cta debitrix est, quia per eam Chri-
 stum suscipere digna facta est, sic
 profectò post eam huic debet gratiam,
 & reverentiam singularem. Ipse enim
 est clavis veteris testamenti, in qua
 Patriarchalis, & Prophetalis digni-
 tas promissum consequitur fructum.
 Porro hic est solus, qui corporaliter
 possedit, quod eis divina dignatio
 repromisit; meritò igitur figuratur
 per illum Patriarcham Joseph, qui
populis

populis frumenta servavit; sed & hic illum præcellit, quia non solum ægyptiis panem corporalis vitæ, sed omnibus electis panem de cælo, qui cælestem vitam tribuit, cum multa solertia enutritivit.

R. Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur: protegetur sub tegmine illius à fervore. *Et in gloria ejus requiescet. **V.** Sperate in eo omnis congregatio Populi; effundite coram illo corda vestra. Et in Glor.

Lectio VI.

Profectò dubitandum non est, quòd Christus familiaritatem, reverentiam, atquè sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tanquam filius Patri suo; in cælis utique non negavit, quin potiùs complevit, & consummavit. Unde non immeritò in verbo proposito à Domino subinfer-

tur: intra in gaudium Domini tui. Unde, licet Gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: intra in gaudium; ut mysticè innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intrà, sed undique illum circumdans, & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, beate Joseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putativum filium intercede: sed & beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiā redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

R. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

X. In te cantatio mea semper,
quo-

quoniam tu adjutor fortis: Si exur-
gat. Gloria Patri. Si exurgat.

IN III. NOCTURNO *Ant.*

Audiens Joseph, quod Arche-
laus regnaret in Iudaea pro Herode
Patre suo, timuit illo ire.

Psalm. Domine quis habitabit.
cum reliq. de com. Conf. non Pont.

Antiph. Admonitus in somnis Jo-
seph secessit in partes Galilææ, &
veniens habitavit in civitate, quæ
vocatur Nazareth.

Ant. Erat Pater JESU, & Mater
mirantes super his, quæ dicebantur
de illo; & benedixit illis Simeon.

¶. Invocavi Dominum Patrem
Domini mei.

R. Ut non derelinquat me in die
tribulationis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 4.

In illo tempore: factum est autem,
cum baptizaretur omnis populus,
&

& Jesu baptizato & orante apertum
est cœlum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. de Consens. Evangel. cap. 1. et 2.

Manifestum est illud, quod ait:
Ut putabatur filius Joseph;
propter illos dixisse, qui eum ex Joseph,
sicut alii homines nascuntur,
natum arbitrantur. Quos autem
moveat, quod alias Progenitores
Matthæus enumerat, descendens à David usque ad Joseph, alias autem Lucas ascendens à Joseph usque ad David: facile est, ut advertant duos Patres habere potuisse Joseph, unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cuius pro-

progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

R. Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium. * Et vocabis nomen ejus Iesum.

V. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio VIII.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, & Matthæo scilicet & Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat; alter ejus, qui adoptaverat Joseph; quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cuius eum filium esse narravit? Matthæus autem dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans,
donec

donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph, satis expressit ad eum patrem se perduxisse originem generantium, à quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurdè quisque dicitur non carne, sed Charitate genuisse quem filium sibi adoptaverit. At verò etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filiose ejus fieri, de natura atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit.

R. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum:
*Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

X.

V. Ut adimpleretur, quod dictum
est à Domino per Prophetam dicen-
tem: Ex Ægypto vocavi filium me-
um. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Nona Lect. dieiur de Homil. Dominic.

AD LAUDES,

& per Horas, Ant.

Jacob autem genuit Joseph virum
Mariæ, de qua natus est JESUS, qui
vocatur Christus.

*Psalm. Dominus regnavit. cum re-
liquis de Dominica.*

Antiph. Mislus est Angelus Gabriel
à Deo in civitatem Galilææ, cui no-
men Nazareth, ad Virginem despon-
satam viro, cui nomen erat Joseph.

Antiph. Ascendit autem Joseph à
Galilæa de civitate Nazareth in Iudæ-
am, in civitatem David, quæ vo-
catur Bethlehem.

Antiph. Et venerunt festinantes,
& invenerunt Mariam & Joseph, &
Infante in positum in præsepio.

An-

Antiph. Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.

Capitulum. Benedictiones Patris. ut
supra in I. Vesp.

Hymnus.

Cœlitum Ioseph decus, atque nostræ

Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ,
Virginis Spcnum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futu-
rum,

Aspicis gaudens, humiliisque natum
Numen adoras.

Rex Deus regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus fainulatur æther,

Se

Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ.

Gaudia vitæ. Amen.

¶. Dedisti mihi protectionem sa-
lutis tuæ.

R. Et dextera sua suscepit me.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ioseph fili David, noli timere ac-
cipere Mariam conjugem tuam,
quod enim in ea natum est, de Spi-
ritu sancto est.

Oratio. Deus, qui ineffabili. *ut*
supra in I. Vesp, & fit comm. Dominicæ.

Ad Tertiam, Antiphona.

Missus est.

Capitulum. Benedictiones Patris.

ut in I. Vesp.

R. br. Constituit eum * Dominum Domūs suæ.
Constituit. *¶.* Et principem omnis possessionis suæ.
Dominum. Gloria Patri. Constituit *¶.* Confi-
tebor nomini tuo. *R.* Quoniam adjutor & Prote-
ctor factus es mihi.

Ad

Ad Sextam, Antiphona.

Ascendit autem.

Capitulum Genes. 49

Deus patris tui erit adjutor tuus & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper.

¶. br. Confitebor * Nomiini tuo: Confitebor.
¶. Quoniam adjutor & protector factus es mihi.
Nomiini. Gloria Patri. Confitebor. ¶. Justus germinabit sicut liliuim. ¶. Et florebit in æternum ante Dominum,

Ad Nonam, Antiphona.

Et ipse IESUS.

Capitulum Genes. 49.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum.

¶. br. Justus germinabit * Sicut liliuim. Justus germinabit. ¶. Et florebit in æternum ante Dominum. Sicut: Gloria Patri. Justus. ¶. Plantatus in domo Domini. ¶. In atriu domus Dei nostri.

In 2. Vesp. omnia ut in primis, except. seq.

¶. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.
¶. Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fili, quid fecisti nobis sic: Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Oratio ut in 1. Vesp. & fit commemor. Dominica.

Die

Die XXVIII. Aprilis.

**TRANSLATIO S. LIBORII
EPISCOPI CONFESSORIS,**
Duplex

Omnia de communi Conf. Pont. præter sequentia.

*In Hymn. mutatur 3. versus
Oratio.*

Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Liborium ministrum tribuisti, præsta quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum, &c.

Lectiones I. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Postquam Carolus Magnus Imperator Saxones ferro & armis sæpius domitos, Christi fidem susciperre docuisset: Hathumarum illi genti præficiendum Episcopum curavit. Cui successit Baduradus. Is se totum amplificandæ & provehendæ Ec-

P. Vernal,

G

Cleric

clesiæ sibi commissæ tradens, sæpè
à Deo petebat, ut alicujus sancti
corpus habere posset: cuius miracu-
lis populus in fide confirmaretur, &
ad ejus patrocinium confluueret. Post
indictum jejunium, supplicationes-
que publicas, divinâ revelatione mo-
netur, ut Cenomanum Galliæ ur-
bem mitteret: quo acceptis ab Im-
peratore Ludovico Caroli filio litte-
ris missi legati anno Incarnationis
Dominicæ octingentesimo trigesimo
sesto feliciter pervenerunt.

R. Inveni David.

Lectio V.

Erat tunc temporis Cenomanensis
Episcopus Aldricus, qui lectis
Imperatoris litteris, & auditâ lega-
tione, justam petitionem ratus, eo-
rum supplicationibus annuit. Con-
vocato Clero cum legatis procedit
ad Ecclesiam; quam in honorem
Apostolorum construxisse dicitur
beatus

beatus Julianus, in quâ multorum
 Sanctorum corpora quiescebant. Ex
 quibus sancti Liborii olim ejus civi-
 tatis Episcopi corpus elititur. Quod
 cum extraheretur, inæstimabilis odo-
 ris suavitas ubique diffunditur: hinc-
 que multis miraculis Deus sancti sui
 merita declaravit. Nam & mulier
 ab annis plurimis cæca, ejus inter-
 ventu lumen recepit: Ac in Eccle-
 siam majorem illato corpore, qui-
 dam utroque pede claudus, inte-
 gram sanitatem consecutus est.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Variis, quâ defertur corpus, co-
 ruscavit miraculis. Nam &
 Carnuti ab Episcopo & Clero rece-
 ptum, puellam, quæ à nativitate
 membris ferè omnibus curva, &
 velut in globum contorta erat, sa-
 nitati restituit. Et Parisiis, dum ab
 Episcopo Erkanrado Missarum so-

G 2

lempis

lemnia celebrarentur, muta à nativitate & surda ad corporis sancti Liborii præsentiam curatur. Tandemque ad locum destinatum pervenitur, ac in Paderbornensi Ecclesiâ sanctum corpus honorificè reponitur. Eodemque ipso die puer quidam à die nativitatis suæ surdus & mutus auditum recepit, & loquendi facultatem. Multis aliis claruit miraculis sanctus Liborius, quem nunc Ecclesia Paderbornensis tamquam Patronum veneratur.

Rg. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium. Homo peregrè: de communi Conf. Pont.
Missa: Statuit. Orat. Deus, qui populo. ut supra.

Die

Die XXVIII, Maii.

ADVENTUS RELIQUIARUM
S. LIBORII EP. CONFESS.
Duplex.

Omnia de communi Confessoris Pon-tificis præter propria in Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Liborium ministrum tribuisti, præsta quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Lectio i. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Legati Baduradi Episcopi Ceno-mano ad Ecclesiam suam rever-suri; ingressi Saxoniam, præ nimia-sibi turbâ obviante, vix gradum mo-vere poterant: totis tamen nisibus iter accelerantes tandem die tertio, quinto Kalendarum Juniarum, quâ

G 3

tunc

tunc sacrâ Pentecostes solemnitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam pervenerunt. A quâ cùm adhuc tribus miliaribus distarent, ob immensam multitudinem, quæ sequi non poterat, in medio campo Missarum celebraverunt solemnia. Verùm antequam ea finirentur in eodem loco quinque pariter homines à variis debilitatibus liberati causam immensæ admirationis & lætitiae, tantam Dei virtutem videnti populo, præbuerunt. Insuper eâdem horâ in ipsâ Ecclesiâ Paderbornensi puer quidam, de eâdem Parochiâ oriundus, qui à die nativitatis suæ surdus erat & mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit & loquela. Agebat hoc nimirum divina potestas & dispensatio, ut in die adventûs ipsius tot signa coruscantia indicio essent

cun-

euindem locum ad hoc fuisse cœlitùs
electum, ut tanti Confessoris cor-
pore illustraretur.

R. Inveni David.

Lætio V.

Quod cùm innumeris undique
stipatum turbis Urbi appropin-
quare cœpisset, Clerus omnis cum
universis Ecclesiastici cultūs orna-
mentis processit ei obviam sequente
populo, qui vel de longinquo ve-
nerat, vel qui ex eodem Oppido &
vicinis locis illuc ad audienda Mil-
sarum solemnia in tantâ festivitate
fuerat congregatus. Cùmque sibi
non parvo ab Oppido intervallo u-
térque populus sequentium videlicet
venerabile corpus, atque excipien-
tium obviasset, hi qui occurserunt,
ter solo prostrati summâ illud cum
veneratione suscepérunt. Cumque
Clerus in Hymnis & Confessionibus
Deum benediceret, & spiritualium

carminum melodiam sanctorum laudi concineret congruam , populus verò Kyrie eleyon ingeminaret, cum ineffabili jubilo erectis ad Deum mentibus singulorum nihil ejus laude dulcius videbatur ; ita ut in hujus vitæ exilio similitudinem quan- dam beatitudinis , quæ in Patriâ speratur , prægustasse viderentur.

R. Posui adjutorium.

Lectione VI.

Tali quoque magno honore sacratissimum corpus in Ecclesiâ Paderbornensi delatum ; & in illo, quo haec tenus requiescit , collocatum est loco , ubi magnis postmodum miraculis effulsit , variaque sanitatum dona præsttit , sunt autem tam magna & sacratissima pignora in dictâ Ecclesiâ præcipue , non immertò dignis laudibus & honoribus extollenda. Nam in ejus Transla-
tione bonæ memoriae Aldricus , Ce-

noma-

nomanicæ urbis Antistes ad se vocatis nuntiis sive missis, tunc Paderbornensis Episcopi Baduradi, pretiosissima pignora coram omni Cle-ro & populo commendavit, sub ob-testatione gravissimâ: ut cum digno semper honore tractarent; nec eis unquam omnis reverentia cultûs Ec-clesiastici à quolibet Episcopo Paderbornensi & Clero suo quolibet tem-pore subtraheretur. Dehinc per eundem Aldricum inter utriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis, congrega-tiones firmata est fraternitas per-pe-tuæ charitatis.

R. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO.

*Hom. in Evang. Homo peregrinè. de
com. Conf. Pont.*

*Missa. Statuit. Oratio: Deus,
qui populo. ut suprà.*

OF.

OFFIC. HEBDOMADARIUM
IN HONOREM
S. LIBORII
Episcopi & Confessoris

à
Sanctissimo D. N. D.

CLEMENTE XII.
in Civitate et Diœcesi Paderbornensi

Extrà

Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora,
& Vigilias, Die, festo novem lectionum non
impeditâ sub ritu semiduplici recitari concessum.

*Omnia dicuntur de communi Con-
fessoris Pontificis præter ea, quæ se-
quuntur.*

*In Hymno: Iste Confessor. mut.
3tius versus.*

*Ad Magnificat in primis vesperis
Antiphona: Sancte Libori Confessor
Christi miseris tuis subveni servis,
& iram, quam meremur, precatu
tuo averte, ne de gregis tui dainno
inimicus exultet.*

Ora-

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione sancti Nominis tui solidâsti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti Liborii Confessoris tui atque Pontificis recolit commemorationem, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum &c.

In primo Noct. Lect. de Script. occurr.

In 2. et 3. Noct. Lect. ordine inf. posito.

Ad Benediclus Antiphona: O quàm venerandus es Libori Confessor Christi, qui terrena contempsisti, & Cœli januam exultans petisti, modò vicitor fulges in virtute cœlesti; ideo te supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

In 2. Vesp. ad Magnif. Antiph. Sancte Libori Confessor Domini pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitius.

Pro

Pro Mensibus Martio & Aprilis.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi, in Cap. 15. Epist.
ad Rom. Serm. 29. circa finem.

Lectio IV.

Christum diligens, & gregem illius utique diligit. Et Moysen tum primum super populum Judæorum posuit, quando, quâ esset in illum benevolentia, reiplâ jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quam amico esset in populum affectu. Ita quippe juvenis adhuc, populi causâ doluit, ac zelavit, ut & animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum è medio tollebat. Quod verò dicebat, quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interficerit? non ideo dicebat, quod mercedem exigeret, sed quo sibi crederetur, & in pugnam cum illo committeretur! nam cum adeptâ jām victoriâ ad Regem esset

esset ingressus, nihil de mercede me-
minit.

R. Inveni David &c.

Lectio V.

Et Samuel quoque benignus erat,
& amator populi: unde & di-
cebat: Absit autem hoc à me pec-
catum, ut cesseam pro vobis orare
Dominum. Ita & Paulus, imò non
ita, sed multò plus omnibus arde-
bat erga subditos. Unde & discipu-
los ita erga se animavit, ut diceret:
Si possibile fuisset, oculos vestros
eruissetis, mihiique dedissetis. Et
Christus optimi Pastoris regulam
proferens dixit: Bonus pastor ani-
mam suam ponit pro ovibus. Sunt
enim Sanctorum animæ vehementer
mites, & hominum amantes, non
solùm erga domesticos, sed alienos,
ita ut hanc suam mansuetudinem
etiam ad animantia bruta extendant.
Propterea & Sapiens quispiam dixit:

Jultus

Justus miseretur animarum jumentorum suorum. Si jumentorum, multò magis hominum.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Verùm quoniam pecorum mentionem feci, perpendamus & ovium pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodiâ patiantur. Illi sæpe númerò universum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lybiâ sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficultem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiae impendunt pastores illi; quam quæso excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? An ignoras gregis hujus digni.

dignitatem? an illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? an non postremò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris? Et quid poterit pejus esse pastoribus istis? Rx. Iste est &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 79. in Manh. circa medium.

Talenta hic pro eo quod unusquisque facere potest, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrinâ admonere, sive aliâ quapiam re proximis prodelle queas. Nemo secum dicat, cum unum talentum habeam, nihil possum efficere: potes prof-

etò

Etò ex eâ unâ re solâ comprobari.
Non es pauperior illâ viduâ, non es
Petro atque Joanne rusticior: qui
quamvis rudes simul atque illiterati
fuerunt, quoniam magno studio
communem utilitatem complexi fue-
rant, cœlorum principes facti sunt.

R. Amavit eum &c.

Lectio VIII.

Quippe nulla res Deo gratior est,
quàm ut universam vitam ad
commune commodum conferas.
Idcirco ratione atque oratione nos
Deus decoravit, mentem & inge-
niū concessit, manus, pedes, vi-
res corporis dedit, ut his omnibus
& nos ipsos & proximos tudemur.
Non enim ad agendas gratias so-
lummodo confert oratio, verùm
etiam ad docendum, & admonen-
dum perutilis est: quâ in re si eâ di-
ligenter utemur, Dominum; sin verò
in contrariis, diabolum imitabimur.

R. Sint

¶. Sint lumbi &c.

Lectione IX.

Nam & Petrus, quandoquidem Christum confitebatur, quasi ea dicens quæ Patris sunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat atque repellebat, quasi ea quæ Diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignorantie crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confessim cognoscuntur.

P. Verna,

H

Pro

Pro Mensibus Mayo, & Junio.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.
unde suprad.

Lectio IV,

Et homines quidem, qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò, qui pro ipso cælo certamen habemus, ipso quoque die dormimus. Quis, quæso, ab eo nos suppicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solum pastores, sed & oves audiunt, ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verùm omnem obedientiam, animúmque cui persuaderi queat, exhibentes.

R. 2.

R. Inveni David.

Lectio V.

Ita Paulus præcepit dicens, obedi-
te ducibus vestris, & subditi esto-
te: nam ipsi vigilant; pro anima-
bus vestris, tanquam rationem da-
turi. Quando verò dicit, Nam ipsi
vigilant; innumeros labores, curas
& pericula complectitur. Bonus
enim Pastor, & talis qualem Chri-
stus vult, innumeris comparatur
martyribus. Propter Christum qui p-
pe martyr semel quidem est mor-
tuus, hic verò millies propter gre-
gem, si quidem talis sit pastor, qua-
lem esse oportet: talis enim pastor
singulis diebus mori potest. Pro-
pterea & vos, cognito isto labore,
& precibus, & diligentia, & ani-
mi alacritate & dilectione nos juva-
te, ut & nos vestra, & vos vicissim
nostra gloriatio sitis.

H 2

R.

R. Posui adjutorium.
Lectio VI.

Nam ideo Christus istud Apostolorum Summati, & plus ipsum quām reliqui diligent, commendans, & injungens, primum rogabat an ab ipso diligenteretur: ut discas, quod istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum: Strenuo siquidem animo hic opus est. Hæc verò mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, & mei similibus: sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis N. Iстos itaque imitemur & superiores, & subditi: licet enim & subdito pro parte pastorem agere, nempe dōmūs suæ, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum.

R. Iste est, qui ante Deum.
IN

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4, in Matth. Cap. 25.

Homo iste paterfamilias haud dubium quin Christus sit: qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens, vocatis Apostolis, doctrinam Evangelicam tradidit; non pro largitate & parcitate alteri plus & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus: quomodo & Apostolus eos, qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse

se

se dicit. Denique & illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili recepit gaudio: non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem.

R. Amavit eum &c.

Lectio VIII.

In quinque, & duabus, & uno talento, vel diversas gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt: vel in primo, omnes sensus examinatos; in secundo, intelligentiam & opera; in tertio rationem, quâ homines à bestiis separamur. Acceptis ille terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus æternis.

na. Et iste pro viribus quidquid in lege didicerat, in Evangelio duplificavit: sive scientiam & opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

R. Sint lumbi.

Lectio IX.

Grande tempus est inter ascensionem Salvatoris, & secundum ejus adventum. Si autem Apostoli reddituri sunt rationem, & sub metu judicis surrecturi, quid eos oportet facere? Et notandum, quòd omnia quæ in præsenti habemus, licet magna videantur & plurima, tamen comparatione futurorum, parva & pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium Domini tui; & suscipe, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis

nis ascenderunt. Quid autem pot-
est majus dari fideli servo , quām
esse cum Domino , & videre gau-
dium Domini sui ?

